



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De potestate dispensandi Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

nam libertatem in Matrimonii; ergo odio-
se illæ non sunt, adeoque, nec strictè intelli-
genda: Bono autem communi largæ hæc in-
terpretatio nocere, dicenda non est, quando-
quidem favet primordiali hominum libertati
in Matrimonii contrahendis.

4. Hæc Merolla opinio nimis probat,
ideoque probat nihil, probat enim omnem
dispensationem habere largam interpretationem,
quia hæc semper favet hominum primordiali
libertati. Ad argumentum ergo ipsius, con-
cessa Major, neganda est Minor, nam Jus na-
turæ, non præcipit, sed solum non prohibet
Matrimonia, ad quæ Natura ipsa propendet,
Si ergo à jure positivo aliqua ex illis, ob com-
mune bonum, prohibentur, (ut certè prohi-
bentur) sanè in casibus deinde, in quibus pro
aliquo ex his prohibitis, dispensatur, jus, &
bonum commune violabitur.

5. Quando dispensatio æquivaler legi
communi, qualis est dispensatio, quæ clauditur
in jure communi, vel quæ conceditur
communitati, largam profectò habet inter-
pretationem, sed absque admiratione, quia
tunc per illam jus commune non vulneratur,
sed immò jus constituitur. Lege hæc, & simi-
lia apud Dianam, & aliosque citates.

CAPUT II.

De Potestate dispensandi,

1. **P**otestas, quam quis habet, sive ordi-
nariam, sive delegatam, sed generali-
ter alicui concessam dispensandi
cum omnibus, est late à interpretanda. Ratio
brevis est, quia potestas ad dispensandum non
est contra jus, nec in alterius præjudicium,
immò bono communi favent, siquidem bo-
num est commune, adesse eos in Republica,
qui subditis consulere per dispensationem
possint. Aliquas limitationes vide apud eun-
dem Sanchez. c.

2. Dixi (generaliter, & cum omnibus) nam
si hæc potestas dispensandi concedatur alicui
per modum mandati, ut solet pro dispensa-
tionibus Matrimonialibus, in quibus sic v. gr.
dicit Pontifex Delegato: *Dispenses cum Petro,*
si ejus preces veritate nitantur, vel quam vis po-
tissima hæc, vel similia verba non apponan-
tur, tamen concedat Princeps Delegato pote-
statem dispensandi solum cum aliqua pecu-

liari persona, si, inquam, sic potestas dispen-
sandi concedatur, erit strictè à interpretanda. d. Sanc. l. 8.
Ratic, st, quia in hoc casu, concessio potesta-
tis, vel est inchoata dispensatio, vel speciatim
relata ad peculiarem dispensationem, & con-
sequenter juxta prædicta, esse stricti juris de-
bet. Sit exemplum illud, quod affert Conra-
dus: Concedit absolute Pontifex Delegato,
seu executori potestatem dispensandi super
quarto gradu consanguinitatis in favorem
verbi gratia Titii: Delegatus autem invenit,
quartum ejusmodi gradum esse verbi gratia,
in eo duplicem, hoc est, ex duobus stipitibus
esse Titium, & Bertam consanguineos, haber
ne executor potestatem dispensandi in utro-
que gradu? Sanè non habet, quia cum hæc
potestatis concessio facta sit pro peculiari ca-
su, & persona, strictè est interpretanda. Qua-
re intelligenda erit de uno quarto gradu, ni-
mirum proveniente ab uno stipite, non verò
ex duobus, vel pluribus.

CAPUT III.

De Potestate dispensandi Impedimenta
Matrimonii, quæ residet in Sum-
mo Pontifice. Re-
missivè.

1. **E**am amplissimè residere in Summo
Pontifice, sed quoad ea impedimen-
ta, quæ non sunt de Jure naturæ, sive
impedientia, sive dirimentia, res est indigna,
de qua dubitetur. De jure autem naturæ cer-
tò esse, diximus supra, impedimentum ex er-
rore personæ, ex ligamine, ex impotentia per-
petua, ex consanguinitate in primo gradu re-
ctæ lineæ. Adde ex impedientibus, Sponsalia,
quia esset præjudicium alterius ex Sponsis,
nisi fortè Summus Pontifex, ut Judex, illa
sponsalia propter legitimam causam declaret
irrita, vel esse dissolvenda.

2. Hæc sunt clara. Illud est controversum.
An Pontifex possit dispensare in radice Ma-
rimonii; id quod cum ad frequentem pra-
xim non pertineat, videatur, quando
erit opus, apud Sanchez, &
aliosque.

c. Sanchez. l.
8. matr.
d. 7. nu. 4.
Molin. d.
624.
Comin. d.
33. sub. 4.
Perez. d.
44. sec. 5.
G. Hurt. d.
26. matr.
diff. 1. n. 5.
& ex In-
visperitis.
Marc.
Curiell.
Tr. 1. de
Donatio.
d. 2. parti-
cula 6.
no. 33. &
praesertim
nu. 100.

